



ALCHEMIAE LIBER PRIMVS DE ENCHERIA.

CAPVT I.

Quid Alchemia.



ALCHEMIA est ars perficiendi magisteria, & essentias puras è mistis separato corpore, extrahendi.

Quæ duo officia, quia voce laborandi vulgò comprehenduntur, euenit, vt etiam ars benè laborandi queat nominari, aut segregationis puri ab impuro, per succi formam, & fusionis modum seu solutionis, ob partis huius excellentiam, vnde & nomen arti natum iudicatur.

Exordium habet à natura, quam imitari industria primi studuerunt artifices, idq; maximè initio in succis mineralibus extrahendis è vena, & depurandis, quo pacto ipsa natura pura puta metalla, & succos è mineris profundit, vt etiam in die è venis suis extantes conspiciantur. Itaq; olim in metallurgia plurimum valuit. Nunc medicinæ ministrat potius, & non in mineralibus elaborat tantum, sed & animalib⁹ & vegetabilibus, ad vsus humanos, & salutem defendendam, quanq̃ etiã ornamenta vitæ cõferat plurima.

(Primus inuentor eius creditur Tubalcain ille in sacris notus, quem Vulcanum nominant. Is enim primus in metallurgia, qua pars est Alchymia, elaborasse scribitur. In Ægypto eius celebrator extitit Hermes, seu Mercurius Trismegistus, inuento transmutationis nobilis, à quo res quadam artis adhuc nomen habent, vt vas Hermetis seu pelicanus, aues Hermetis, sigillum Hermeticum, &c. Ita am huius, apud Mesuen sunt pil. Hermetis, hiera Hermetis, &c. Ab hoc etiam ars ipsa Hermetis nuncupatur, & intelligitur transmutatoria, quam præceptis comprehendit Gebrius Mauritanus. Ad medicinam eam accommodasse, & liquores stillatitios fecisse leguntur primi Arabes & Persæ. Vnde Auicenna a Sorsano dicitur Alchymia studuisse, ipseq; nominatim facit mentionem corrigẽ la aqua per sublimationẽ & destillationem. Hunc sequuntur Rhazes, Mesue, Bulcasis & alij, apud quos Chymica multa reperiuntur: & nominatim Mesue Alchymistis tribuit etiam oleorum resolutorum confectiõnem. Nostro tempore eius fiducia Paracelsus summa imis miscuit, & peculiarem factionem Paracelsistarum genuit. Vnde Paracelsus est monstrosa quadam iactantia, ex ruditate & scientia temeritateq; conflata, miscens medicinam Alchemia, & hinc omnes scientias peruertens.)

Non desuis-
se Iudaica
genti notiti-
am huius,
forte indicio
est aqua il-
la nardina
preciosa qua
perfusus est
Saluator.